

tur enim ratio. Jam quod cum hac ratione convenit, id hic & quidem solum intelligatur necesse est. Convenit autem cum ratione illa & textu, ut impii, qui innocenti foveam foderant & mortem prepararant, supplicio ejusmodi afficiantur. Sed miretur quis hic meritò, qui tam confidenter scribere potuerit Cl. Hakspanius, id clarissimè apparere, quod vix suspitione hinc elici potest, atque id solum intelligendum necesse esse, quod vix ullus probabile esse judicet, nisi omnibus notum, quanta sit vis præconceptæ opinionis. Nec quicquam hic valet Authoritas vel Chaldæi vel LXX. interpp. cum longissimè à verbis Textus Hebræi recedant, LXX. etiam & Latinus bis particulas *anti* & *pro* de suo inferant, sine ulla urgente necessitate: Insuper merè precaria est hypothesis illa de oppositione Messiaë ejusque hostium, nec non eorum afflictionum, ceu Textum consideranti manifestum fiet.

§. 9. His ita sepositis, considerabimus nunc eorum sententiam, qui quidem agnoscunt, Verba Textus nostri pertinere ad Mortem & sepulturam Christi, sed ita, ut eadem alii ad *Modum*, alii ad *Locum*, alii ad *Fructum* Mortis & sepulturæ Christi referant.

§. 10. Qui ea ad *Modum* referunt, mire iterum inter se dissident, suntque B. noster Lutherus & nonnulli ex nostratibus eum secuti, nec non quidam ex Reformatis. B. Lutherus (à quo solo locum hunc rectè intellectum, translatum & expositum esse dicit Flacius) in versione Germ. ita habet: Und Er ist begraben wie die Gottlosen / und gestorben / wie ein Reicher: wiewohl Er niemand Unrecht gethan hat / noch Betrug in seinem Munde gewesen ist. Et in Glossa marginali. Reicher) der